

1498 qui cum illo venerant, factum, legatus postea quærendo reperit: tum illos ipsos, qui aufugerant, prope omnes ex Bononiensibus fuisse cognovit. quin etiam Hannibal equites clam se quotidie castris atque turmis subtrahebant. Jamque Gaspar Severinas cum equitibus a Ludovico missus ad ea loca pervenerat, Ranutiusque una cum illo Martianus: cui, uti Venetis occurseret, Florentini mandaverant. etiam libræ auri centum Florentiam a Ludovico missæ, magno eis usui ad celeritatem, cujus res magnopere indigebat, adhibendam fuerunt. Livianus aliud castellum cepit, vulnera in facie accepto, ac diripuit. Atque illis ipsis diebus (hyems autem jam advenerat) milites ter mille, qui Francisco attribui debuerant, Ravennam sunt, ut ad Marcellum contenderent, missi.

*Pisarum op-  
pugnatio.*

Dum hæc sic administrantur, Paulus ad Pisas castris positis verberare muros tormentis cœpit. Id cum parum propter murorum firmitudinem processisset, crates in latitudinem quoquoversus pedum denum, in altitudinem secum, inter se conjunctas noctu muris admovit, terraque injecta milites uti murum suffoderent tecti cratibus imperavit. Pisani autem, cum in muro consistendi propter tela multitudinemque hostium potestas esset nulli, fossam intra muros latam atque altam duxerunt, castellisque munierunt. Paulus turrim oppidi muro conjunctam dejectit: ea dejecta per ruinas militibus introire jussis, ubi fossam esse objectam, & Pisanos in aggere circumjectos hostes operiri, ut in fossa telis atque ignibus eos conficerent, & magnum irrumpentibus instare periculum cognovit, receptui cani jussit: paucisque post diebus in hostium captis ab se castellis præsidio relicto, castra movit, ut in Clusentinos saltus contra Medices Livianumque contenderet. Pisani obsidione liberatis, Græci equites portis emissi castellum Calcem, dejecto Pauli præsidio, expugnatum diripuerunt. Classis præfetus, qui Pauli obsidionem una cum reliquis sustinuerat, cum classiariis egreditus, eosdem Græcos equites secum dicens castellum ad Pontem stagni ei appositum itineri, quod Triturrita Pis